



I. N. S. S. T.

Ανευ Προοιμίου.

C A P U T I.
DE DISCRIMINE
QVOAD STATUM.

§. 1.

Decimum decennium ultra seculum hōc annō effluit, ex quo Lipsiā *Tycho Braheus*, *Nobilis Danus* discessit, quam per integrum triennium benignam Studiorum Nutricem expertus fuerat. Ille verò cum à Patruo, Prudentiæ juris, in hac Alma Nostra operam navare jussus esset, naturā verò ad studium Mathematicum, quò deinde excelluit, ductus ac impulsus, tacitò quòdam juris fastidiò teneretur, aliquando in hoc qualecunque (quod & deinceps inter sodales frequenter in ore habuit) distichon tunc prorupit :

Jus patinæ & Legum sunt nomine Jura sub uno :

Grandia condunt & grandia Jura vorant ;

referente *Gassendō in vita ejus p. 6.* Quò lusu Juvenis ingeniosissimus duas illas diversissimas Juris significationes, quæ sub auspiciis studiorum teneræ ætati è Grammatica aut Lexico innotescunt, conciliare studuit.

§. 2. Quemadmodum autem hæc vulgaris ambiguitas per hujusmodi jocum, si rem seriò agamus, non sublata est : ita in Philosophicis acceptionibus, quas nos h. l. omnium maximè curamus, jus cum conjugatis suis longè majorem sustinet varietatem.

§. 3. De Jure videbimus in Cap. II. Jam de Justo ; quod vel substantivè, vel adjectivè sumitur. Substantivè, prout idem est, ac jus,